



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculæ

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Lentulus Fabio, cùm invitatus ad cænam non venisset.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

totus incumbit. Parco dicere plura illius in gratiam, ne fortè videar filio plusculum indulgens mater. At non tacebo tamen, quod unum ipsius in moribus amavi maximè, memorem tuæ in eum benevolentiae ac gratum imprimis animum. O si adesses, quoties amicum sibi, liberalem ac beneficum in primis Magistrum jactitat! Hanc tu porrò benevolentiae partem, quam puero impertiisti hastenus, ut tueri semper ac præstare velis, etiam atque etiam peto. Pervidisti omnino Adolescentis animum, quem benignitate potiùs, quàm acerbitate regendum putaveris. De reliquo familiam totam sic obligasti, ut cupidissimam, tuique in omnè tempus observantissimam sis habiturus. Vale.

---

LENTULUS FABIO,

*Cùm is invitatus ad Cœnam & pollicitus non venisset.*

Objurgatoria.

**E**Rgo promittis ad cœnam, & non venis? Tibi jus dicitur: ad assem impendium reddes, neque id modicum. Paratus erat tibi Capo præpinguis ex Cœnomanensi tractu recens adventus: Pullus geminus educatus sedulò & frumento jam diu fartus; adde & Palumbes duos cum Cuniculo, non urbano illo quidem & domestico, sed rustico & sylvestri. Vinum fileo, quale nec bibitur Rhemis, quadrimum illud sanè, quod neque palatum exsurdet, neque vetustate evanuerit. Glaciem, quanquam æstus præterit, servabam tibi homini, si quis alius est acri & præservido;

hanc

hanc quoque computabis, imò hanc imprimis quæ periit in ferculo. Ad hæc Olivæ Salyæ longâ muriâ conditæ. Quid plura? fructus omnis generis, quos tempestas ferat; etiam cùpediæ, bellaria, dulciaria, si tamen delicias illas confectaris. At tu apud nescio quem Aprum, Perdices, Lepores maluisti. Dabis pœnas, non dico quas. Durè fecisti; nescio an tibi, an mihi; sed tamen & tibi. Quantum lussissemus, risissemus! Potes apparatus cœnare apud multos, nusquam hilariùs, simpliciùs, incautiùs. In summâ expirare; & nisi posthac te alijs potiùs excusaveris, mihi semper excusa. Vale.

---

MARCUS TULLIUS CICERO

Tito Annio Miloni Massiliæ  
exulanti.

*Cùm scriptam, quam pro ipso dixerat,  
Orationem ad eum mitteret.*

Ad excusandum.

**E**Xulas ergo vel innocens, Tite Anni; neque fatalem à cervicibus tuis casum arcere potuit tuus ille Tullius, cujus in patrociniò tantum posueras? Infelicem me vel hac meâ, si qua est, dicendi facultate, quæ tibi non profuit! Nam quid me juvet adfuisse quibusdam in causâ capitis, & meritas etiam nonnunquam pœnas depulisse; dum tibi reliquos inter homini amicissimo opitulari non licuit? Tamen accusa effrænem armorum licentiam; accusa Clodianæ factionis auctoritatem; quæ pristinam consuetudinem Fori, & vete-